

B. 29284

ORATIO
PRO SOLENNI
STUDIORUM INAUGURATIONE
IN REGIA OVET. UNIVERSITATE

CORAM EJUDEM DD. ET MM.
XV. KAL. NOVEMB.

DICTA

A R. P. M. Fr. EMMANUELE DE CASO
CATHED. INST. THEOLOG.

ACADEMIÆ SACRÆ ET FORENSIS ORATORIÆ

MODERATORE.



OVETI:




APUD TYPOGRAPH. VIDUÆ DE PRIETO, ANNO 1828.

545264



Educatio et institutio commoda bonas naturas inducit, et rursus bonas naturas, si talem institutionem consequantur, meliores adhuc et præstantiores reddit. Plato dialago 4.º de Legibus.

Homo rectam nactus institutionem divinissimum mansuetissimumque animal effici sol. t; si vero vel non sufficienter, vel non recte educatur, eorum quæ terra genuit ferocissimum. Idem lib. 3.º de Legibus.



Quantumvis ingens sapientiæ celsitudo, Dignissime Rector, DD. MM. que facultatum omnium senatus amplissime, ceteraque undequaque adstantium floridissima corona, quantumvis, inquam, ingens sapientiæ celsitudo ad illud usque gloriæ fastigium evecta sit, ultra quod extolli non posse videatur: quantumvis ejusdem tot sæculis incorrupta nobilitas in eam excreverit claritatis ubertatem quæ amplius augescere sine jactura vix creditur: quantumvis ejus laudes et encomia tan sæpe à claris oratoribus repetita ad sumum gradum elevata videantur; vestra tamen expetatio quidpiam novi à me repetere jure videtur, quo et illius majestas et dignitas majorem sibi reverentiam conciliet, et amor erga illam altius vestris pectoribus infigatur. Ut autem vestris votis respondeam imparem me fateri, haud ficti, sed veri ingenuique timoris effectus est, non quod sapientiæ laudibus fines unquam præscribi possint, sed quod objecti dignitas et celsitudo æqualem oratorem postulet. Ipsummet itaque quod sapientiam illustrat oratorem terreat necesse est: quod illam extollit hunc premit: quod illi gloriam huic me-



(4)

tum ingeminat: quod illius præclariorem facit dignitatem multo magis arduam reddit Provinciam. Sed quoniam ad loquendum et temporis et adstantium ratio me cogit, ab inexaustis sapientiæ laudibus non supersedebo. Terret me quidem materiæ dignitas sed concitat: premit difficultas, sed in bonam spem elevat: metum incutit, sed gratas aures pollicetur.

Tuas igitur laudes, præclarissima sapientia, tua præconia nec meis vocibus, nec adstantium auribus eripiam. Comites indefessæ famæ prepetes volatus habebō, qui si quidquam aliud, at nihil ut tuas nulli secundas excellentias supra convexos cælorum orbis detulerunt. Non inquam eripiam, nec enim easdem ignoro, ceu

Laudatas ostendit avis Junonia pennas

Si tacitus spectes, illa recondit opes

Quadrupedes inter rapidi certamina cursus

Depexæ jubæ plausaque colla juvant.

Ita nunquam à te dilucidius quam cum laudantur ostentari: nec pariter à tua modestia alienum non esse laudem ideo desiderare, ut cunctis tuarum opum fluentia, præsertim vero tuis candidatis innotescant, innotescentibus alliciantur, allecti fortunentur.

Verum, quandoquidem laus est quædam res constructa ex dignitatis excessu, et hæc in te ingens adeo, quas laudes quæve encomia decantabo, quæ vel te minora non sint vel sint repetitis sæpe majora? Quoties te cælestibus Numinum choræis Poetæ non immiscuere? Quoties te cum furibundi Martis ira confligentem, quoties ipsius arcentem horrida tormenta, quoties ejus audaciam debellantem,

(5)

quoties triumphatricem Oratores non describere? Sed tamen plura mihi dicturo, quia plura tibi dicenda supersunt. Cuncta complecteretur oratio si perorationem tandem non esset habitura. Sed quoniam habere constringetur, ut quæ sis, aperiam, *Te novam hominis animam aut rationalis perfectionem* demonstrare in scopum ipse præfigam.

Fidem sin minus mihi, Senecæ saltem, auditores conspicui, adhibete. Hæc, ait Bæticus ille noster Augustæ Majestatis Præceptor, *hæc*, ait de sapientia loquens, *animum format et fabricat, vitam disponit, actiones regit*. Nimirum insipientis animus informis corpus imitatur: labefactatus ignorantiae mole in eandem fere ac illud inclinat mortalitatis ruinam. Vita quam nescio cum belluina cognitionem habet: actiones vel humanarum speciem difficile præferunt. Hac de causa nova ipsi opus est anima, cujus ope tanta reparentur damna, limitesque intra propios contineantur. Hanc jure sapientiam esse, etiam renuente tanti profunditate philosophi, effectus ipsi probarent, quoniam insinuata semel insipienti animo *format ipsum et fabricat*, dum eripit mortis fato et ad immortalitatis culmen erigit: ejusdem *vitam disponit*, dum à similitudine cum belluis defæcat: *actiones regit*, dum, ut humanæ sint, eundem hominem reddit. Hæc etenim omnia præstare apprime sapientiam nemo vestrum inficias ibit.

Mirandum equidem ac prope incredibile foret, auditores clarissimi, omnes, omnes naturæ mirabiles effectus tandem interituros, nisi menti pro admiratione fidem, pro incredibilitate evidentiam oculi subrogassent



(6)

..... omnia funeta
Aut moritura vides: obeunt noctesque diesque
Astraque, nec solidis prodest sua maquina terris.
nec homines hujus fati legi subtrahit immortalis anima
Nam populos mortale genus, plebisque caducæ
Quis fleat interitus? Hos bella, hos œquora poscunt
His amor exitio, furor his et sæva cupido:
Quidquid habet ortus finem timet.
Unde nihil certius quam quod
Eripere vitam nemo non homini possit,
At nemo mortem.

Ita profecto est, Auditores charissimi; attamen sapientiæ concessum, ut quos exornat æternam durare faciat, in quibus vivit reddat immortales. Oculos ad elapsa retro sæcula circumvolbite, conspicietisque tantum id habere veritatis, quantum antiquitatis illa. Vixere nonne tum Plato, Aristoteles, Homerus, Virgilius, Tullius, milleque alii quos non ignoratis? Vixere quidem, at vivere desierunt. Vos ipsi scitis quorum memoria immortales adhuc perseverant, suamet, quam nulla non ætas acclamavit, memoria præservati. Obiere proculdubio ut reliqui, sed obiere ut nunquam iterum obituri mortales jam non forent, ut quam viventes non obtinuerant immortalitatis gloria potirentur. Et quo meliore immortalitate christiani Heroes et sapientes potiuntur? Immortalis est plane eorum memoria et apud Deum nota et apud homines.

Itaque nihil temere credideritis, si dum orator animo complectitur verborum sonos, Poeta carminum modulos, Historicus temporum vices, Dialecticus argumentorum formas, Astronomus siderum cursus, Phisicus Naturæ arcana, Ethicus hominum mores, Metaphisicus causarum nexus, Theologus Mys-

(7)

teriorum abdita, Juris utriusque peritus Jus publicum tum civile tum Ecclesiasticum, æternum sibi nomen comparare judicatis. Id credebat Alexander, cum se debitorem potius Aristoteli Magistro quam Philippo parenti probaturus, ab hoc mortalem, ab illo immortalem esse gloriabatur obtinuisse. Id animo infixum habebat Aristippus, dum mercem investigans, quæ vel naufragum inter spumantis æquoris fluctus comitaretur, sapientiam investigabat. Id tandem nemo non recte arbitrabitur. Nec aliter accidere valeret, cum vel eum

Quem referent Musæ vivet dum roborata tellus

Dum cælum stellas, dum vehat annis aquas
Quod si è sacro suggestu ad vos sermonem haberem, uno verbo absolverem dicens, quoniam immortalitas est in cognatione sapientiæ: nisi forte per encomia luberet excurrere, quæ de seipsa protulit sola sui digna encomiastes sapientia.

En, nobilissimi Auditores, qua ratione litteræ rationalem animam *formant ac fabricant*. Nihil mirati fueritis si characteres has dici consuevisse non semel advertatis, et characteres non sapientis tantum, sed reliquorum etiam hominum menti tam alte infixos, ut nullius oblivionis stragem pertimescant. Num hinc sapientiam esse novam hominis animam ostenderim, vos ipsi videritis, quos non latet animarum plerasque hoc sibi nomen vindicare, quamvis æternum vivere non præsent. Quo tamen luculentius innotescat, en pariter ut *disponat vitam*, quidquid eidem belluinum adest ex ipsa deturbat.

Celebre quondam in Elimeæ Regione Templum Adonidis extitit, ubi mirareris forsam simulacrorum artificium, sacerdotum multitudinem, victimarum varietatem, gentilium superstitionem; sed stuperes inu-

(8)

sitatam leonum quorundam mansuetudinem. Hos nimirum ingenita feritate Templum ita denudaverat, ut nihil minus quam leones apparere diceres. Quippe terrisonum rugitum in festivissimas blanditias, hiantem rictum in comitatem miram commutaverant. Hoc Templum Minervæ potius quam Adonidis crederem, nisi majorem adhuc arbitrarer sapientiæ vim. Hujus ope, non solum crudelis ferarum inimicitia sedatur, ac ut cum Poeta loquar,

Securum blandi leporem fovere molossi,

Vicinumque lupo præbuit agna latus:

Concordes vari ludunt cum tygride damæ,

Massyllam cervi non timuere jubam,

non solum mansuescit feritas, sed penitus trucidatur. Sinite orationem nostram priscorum figmentis ut sale condiri. Heliconem montem quem in Thronum sedemve Musarum Majestati Poetæ consecraverunt, adeo belluis infensum esse referebant, ut pabuli desiderio ad amæna ejusdem vireta properantibus in ipso pabulo necem propinaret. Pulchrum sane commentum, at simul veritatis umbra. Hominem quippe, si bonis artibus excolatur gratissimam esse musarum sedem representat, at belluino cuiquam inimicum adeo, ut ipsum non fuget, non expellat, non detrudat tantum sed et internecet; sin autem ferarum latibulum, aut feram quod pejus est. *Illud* vel ipsum probat nomen quo delectabilior litterarum pars, humaniores dixerim literæ, nuncupantur. *Istud* imprudens Agrippinæ consilium, quæ quia Neronem filium à studio Philosophiæ removit, experta est ejusdem sine Philosophiâ imperantis inmanem diramque impietatem. Utrumque sapientissimus Plato prædixerat, cum hominem asseruit, si recta disciplina imbueretur literis videlicet, in mansuetis-

(9)

simum et divinum prorsus animal evadere; sin vero ferocissimum omnium quæ in terris nascuntur animal reddi: Adeo certum est quod

... Ingenuas didicisse fideliter artes

Emollit mores nec sinit esse feros.

Hujus quoque veritatis, quoniam tametsi caliginibus circunsepto Juliano lumen afulsit, infandum aggressus est nefas. Mille artibus infensissimus hic mortalium hostis Christicolæ terrere aut labefactare tentaverat; incassum tamem. Ergo furiis agitato, ratusque pessimum id, aut ferendum ægrius, litterarum studium ipsis interdixit. Sat illi non fuerat tot horrenda scelera perpetrasse, tot é Baratro atrociora tormenta eduxisse, christianæ fidei cultores exilio multasse, torruisse flammis, ad belluas in Amphitheatro dannasse: ... Volebat ut si possibile foret, belluarum more viverent. Ideo nolebat sapientes, litteratos odio prosequeretur. Putabas ne, impiissime Apostata, si sapientiam altricem haberent nocituros Imperii magnitudini? Cur non prænovisti plus multo nocituros, si transformarentur in belluas? Tutius ne inter illas quam inter homines foret? An credideras ...? Veniam date adstantes clarissimi, animus quippe fuit (utinam obtinuerim) à contrario demonstrare miram ad deferendum hominem, *animal certe multiplex et varium*, indeque ad disponendam ordinandamve ex inordinata ipsius vitam sapientiæ vim.

Ne vero exhaustam jam cogitaveritis, ultra progreditur, atque ut illius actiones pariter regat, hominem quoque reddendum curat. Meminitantam incantatricis *Circæ* vim præstigiæ autumasse priscos, ut quos supremum Numen homines condiderat in fera monstra mutaret atque

Hinc exaudiri gemitus, iræque leonum
 Vincula recusantum et sera sub nocte rudentum,
 Setigerique sues, atque in præsepibus ursi
 Sævire, ac formæ magnorum ululare luporum.
 Quos hominum ex facie Dea sæva potentibus herbis
 Induerat *Circe* in vultus ac terga ferarum

At hujusmodi est sapientiæ vis, ut ex monstris
 homines efficiat: ut in humanum genus, quos in sil-
 vis fremere venefica *Circe*, seupotius insipientia coe-
 git, mirabili non minus metamorphosi restituat: in-
 deque si....

In porcos homines mutarunt pocula *Circe*

Ex porcis homines docta *Sophia* reddit

Optatis qua ratione, qua arte sciscitari? Non aliter
 certe, quam qua interemptos socios iterum adjutrice
Pallade *Cadmus* homines effecit

..... Crevitque seges clipeata virorum

Insita videlicet humanæ menti, assiduique studii
 aratro magis ac magis excolta: sic hominem vici-
 sim excolit, sic tabidum iquorantiæ lue ad se re-
 vocat, sic sapientem, sic hominem reddit.

Quapropter, juvenes florentissimi futuri in pos-
 terum Patriæ decus (Vos enim et orationi finem
 et initium imponitis) vos ergo, præclari juvenes,
 adamate litteras, date scientiis nomen, *Minervæ*
 sectamini vexilla, sapientiam investigate. Quid de-
 siderabilius ut votis insit? Quid dulcius ut alliciat?
 Quid illustrius ut exornet? Quid utilius ut proficiat?
 Desideratis nominis claritatem? Studia vos vestra cla-
 ros et nobiles efficient. Quæritis vitæ immortalita-
 tem? Sapientia suos alumnos immortales reddit. Bel-
 luum quidquam animis vestris irrepere non vul-
 tis? Sapientia trucidabit. Anhelatis homines esse?
 Nullus sapiente hominis nomine dignior. Fugite ve-

ro captiosas voluptatis illecebras. Perspicite quod na-
 ta è *Jovis* cerebro *Minerva* dicitur, et quod Antiqui-
 tas sub fabularum involucris veritates utiles indigi-
 tavit, inter quas haud tennenda videtur quod à car-
 nis commercio separatam semotamque sapientiam
 censuerint. Fugite ergo captiosas voluptatis illece-
 bras, recusate inertiae lenocinia, nam tollunt è me-
 dio litterarum amorem, studium fugant. Eam po-
 tius curam adhibete quam ad miram favorum suo-
 rum structuram apes adhibere cernitis.

Hæ quidem sub auroram gemino unius vel tri-
 plici bombo quasi buxo aliquo excitatæ provolant
 ex alveario, et qua sese offerunt pubescentes her-
 barum tori, vernantes florum pulvini, ebullientium
 fontium scatebræ, liberrimo vagantur incessu: . . .
 Ut carpunt iam flores ex fatiscente paulatim caliculo
 erumpentes! jam pedibus egerunt herbas suavissi-
 mos odores exalantes! Jam puros latices ex perenni
 fontium scaturigine jucundissime delibant! Ut sugunt
 caelestem illum rorem frondium lanugine insidentem,
 jucunda viriditate conspicuum, in subtiles orbes con-
 globatum, gemmasque cælo expolitas imitantem! Ut
 si ventos et imbres augurantur, suis fundatæ sarcinu-
 lis in eundem quo egressæ fuerant alveum recondu-
 tur! Ut tandem suavissimo nectare constipant!

Hæc vobis pariter adhibenda est cura: idem
 studium. Nec enim aliter dulcissimum vos sapientiæ
 favum, nec in vobis sapientia novum spiritum, no-
 vam animam efformabit. Ac denique, quoniam stri-
 debunt sæpe furentes venti huc illuc vos alioquia
 jactaturi, arripienda sarcina, exquirendum adjutricis
 gratiæ donum, humilitas christiana sectanda, *Divi-
 na* non dannandi sed absolvendi *Tribunalia* frecuen-
 tanda vobis sunt: ad *Sacras Aras* provolandum, ut

(12)

Angelorum pane reficiamini , et Angelorum vitam
agentes , et à facibus vitiorum defæcati et purgati
totam mentis aciem in veritatis indagacionem cum
felici exitu intendatis. Hæc si feceritis nullus timori
locus , nullum superest victoriae dubium ; cumulatis-
simum imo laboris fructum reportaturos sperate.

DIXI.



100547664

